



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiæ, 1595

8. 9. 10. Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis, & c. & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi, malum non ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447

to igitur fortius (ut rectè iudicavit D. Basilius, sanior Caluino interpres) Apostoli argumentum pro legū Ecclesiasticarum quàm pro legum politicarum necessaria obedientia facit. Sed Apostolus, quod suo instituto seruiebat, id solum hoc loco dicendum putauit.

- 8. Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam
- 9. non adulterabis, &c. & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges
- 10. proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi, malum nõ operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

AD hunc etiam locum cauteriata conscientia apertæ & agnitæ veritati oblectatur Caluinus. Agnoscit omnia legis mandata reuocari à Paulo ad dilectionem, ut tum sciamus nos rite obtemperare mandatis, quum dilectionem seruamus. Agnoscit, tametsi Paulus secunda tantum legis tabula hic meminerit, & de illis tantum officijs loquitur, que nobis erga proximum demandantur à lege, tamen verum quoque illud esse, impleri totam legem quum proximum diligimus, quoniam vera erga homines charitas non nisi ex Dei amore fluit, atque eius est testimonium sicuti effectus. Si ergo omnia legis mandata ad vnam dilectionem reuocantur, & totam legē implemus quum proximum diligimus; cõcludimus nos Catholici, legem ab homine Christiano impleri posse, quia proximum diligere, & ex vera

Cal. cauteriata conscientia Script. deu prauat.

Legis impletio inuictè probatur.

D. d. d. chari-

charitate diligere homo Christianus potest. An huic tam aperte veritati concedet Calvinus? Non est hoc illi in more positum. Vide tamen quomodo sibi frontem hic perfricit: *Nugatorium* (inquit) est *Sophistarum cavillam*, qui ex hac sententia elicere conantur operum iustificationem. Non enim tradit Paulus quid faciant, aut non faciant homines; sed sub conditione loquitur, quam nullibi adimpletam reperias. Nos autem quum dicimus non iustificari homines operibus, non negamus quin legis observatio vera sit iustitia; sed quia nemo eam prestat, neque unquam prestitit, dicimus omnes ab ea excludi, ac propterea unicum esse in Christi gratia asylum. Vide in signem hominis audaciam cum egregia impostura coniunctam. Dicit Paulus, *Qui diligit proximum, legem implet*. Calvinus vafre non ait, *Nemo unquam diligit aut dilexit proximum*; sed ait, *Nemo unquam implet aut implevit legem*. Sic Apostoli consequentiam, quod lex impletur, fortiter negat. Antecedentem propositionem, quod proximus diligitur, nec negat, nec admittit. Respondet quidem, *Paulum non tradere quid faciant vel non faciant homines*, sed sub conditione loqui, quam nullibi adimpletam reperias. Atqui quæ sit hæc conditio nullibi adimpleta, an ipsius proximi dilectio, an quæ ex ea consequitur legis adimpletio (vtrumque enim Paulus dixit) non aperit impostor. Conditio sanè videtur esse ipsa proximi dilectio. At in subsequentibus Calvinus non

Calvini
astuti-
pergre-
gia.

de

de proximi dilectione sed de legis obseruatione dicit, *Nemo eam prestat, neque vnquam prestatit.* Similiter & illud, *Quid faciant vel non faciāt homines,* potest ad vtrumque referri, ad proximi dilectionē, & ad legis adimplentionē. Sed ad vtram referatur, non aperit impostor. *Qui male agit, odit lucem.* Tectē & ambiguo loquitur, cui fallendi non docendi animus est. Legis obseruantiam à nemine adimpleri, probabilius dici posse censuit Calvinus. Hoc enim perpetuò dicit ac docet. Dilectionē proximi à nemine prestatari posse, à nemine vnquam prestatam fuisse, quia durius & absurdius dici aduertit, dicere aperte noluit, à suis intelligendum relinquere maluit. Nam & sic ab aduersario Catholico difficilius refutari se posse sperauit. Hæ eius artes sunt.

Cæterum breui & aperto sermone Calvinum constringimus. Non hic queritur, nec hic agit aut disputat Apostolus, possitne lex impleri an non; sed hoc agit, hoc docet, hoc affirmat Apostolus, *eum qui proximum diligit, legem implere, eum qui proximum diligit, malum non operari; in dilectione proximi, omnia mandata instaurari;* seu, vt Calvinus vertit, *comprehendi;* Beza, *summatim comprehendit;* denique quòd *plenitudo legis est dilectio.* De hac igitur proximi dilectione respondere Calvinum oportuit. An de hac dilectione proximi sua verba intelligi vult, *Non tradit Paulus quid*

D d d 4. *fiant*

faciant vel non faciant homines, diligantne proximos vel non diligant; sed sub conditione loquitur, quam nullibi adimpletam reperias? de dilectione (inquam) proximi, quæ est conditio implendæ legis, loquitur, quam dilectionem nullibi adimpletam reperias? An hic verborum Caluini sensus est? Si iste sensus non est, ad totam Apostoli disputationem seductor callidus nihil respondit. Si ista sensus est, quis hominem tam impium ferat, qui omnes pios vna voce condemnat, quod nemo eorum proximum dilexerit, ideoque aut veluti stipites nullo affectu, aut veluti impij odio proximum semper prosequantur ac persecuti fuerint? Caluinus igitur ipse neminem vnquam dilexit? Aut Ioannes ille dilectus discipulus Christi sefellit ac mentitus est, quum scriberet: *Quos ego diligo in veritate, & nec ego solus, sed & omnes qui cognouerunt veritatem.* An quoties Paulus dixit, *Fratres mei dilecti, Timotheo dilecto filio, Tito dilecto filio*, sefellit eos? mentitus est? non dilexit eos? An Petrus ceterique Apostoli Christum non dilexerunt? aut si Christum diligere potuerunt, sese mutuò diligere non potuerunt? An falsam & nunquam ac nunquam futuram discipulorum suorum notam Christus dedit quum diceret, *In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem ad inuicem habueritis.* Ad quam tandem impietatem, barbariem, & portentosam feritatem

rotura

Dilectio
proximi
de facto
impleta.
Epist. 2.

1. Cor.
13. 5.
8. Tim.
2. 2.
Tit. 1. 4.

Joan. 13.
35.

totum Christianismum sceleratissimus Cal-
 ninus reducet: qui à nemine piorum proxi-
 mum diligere affirmat? Non tradit (inquit)
Pudus quid faciant vel non faciant homines, dili-
gantne vel non diligant proximum; sed sub
conditione dilectionis proximi loquitur, quam
nullibi adimpletam reperias. Vide quantus iste
 Timon, qualis *μισανθρωπος*, imò Timone ^{Calvinus}
 centuplo odiosior. Timon neminem ip- ^{alter. Ti-}
 se dilexit; at alios sese mutuo diligere & ^{mon.}
 vidit & doluit. Noster Timon nec ipse
 vnumquam quendam dilexit (quod enim ne-
 mo vnumquam prestitit, hoc neque ipse præ-
 stare potuit) nec à quoquam quèquam diligere
 admittit.

Iam si hæc tam absurda & impia sunt, ut
 nemo post Calvinum Calvinista ea (opinor)
 amplius affirmare velit: manet contra Cal-
 vinum & Calvinistas omnes, non nugatorium ^{Operum}
adullum, sed serium, solidum, & inuictum ar- ^{iustitia in-}
 gumentum, ex bonis operibus hominem ve- ^{uidetè con-}
 re iustificari. Nam si (ut Calvinus hic agno- ^{cluditur.}
 scit) *legis observatio est vera iustitia*; qui autem
 diligit proximum, legem observat, adeoque im-
 plet; & dilectio proximi in omnibus pijs ne-
 gari non potest; invidetè sequitur, pios omnes
 tum legem implere, tum ex legis observatione
 veram iustitiam assequi. Atque hæc quidem
 contra fœdam Calvini corruptelam hactenus.

Beza hoc loco vno se verbo suaviter ex-
 pedire posse speravit. *Legem (inquit) implevit,*

D d d 5 id est,

id est, non vnicum aliquod præceptum obijt, sed in genere præstitit quod lex iubet. Itaque non agit hoc loco Apostolus de perfecta vel imperfecta obseruatione legis, vt nugantur Sophiste, sed charitatem vt legis summam commendat. Respondeo, hoc Catholicæ doctrinæ sufficere. Totam legem in genere & omnia mandata per dilectionem proximi impleri, ex Apostolo dicimus: seu perfectè seu imperfectè, quoad modum agendi, alia quæstio est. Sufficit totam legem impleri. Ita nouella hæresis (legem impleri non posse) ex hoc loco iugulatur.

Beza euas-
so obstrui
vult.

Dilectio
triplici se-
su legem
implet.

3.

Nunc, vt Apostoli doctrina magis intel- ligatur, breuiter monebo quomodo & in quo sensu vna dilectio totam legem implet. Facit hoc sanè tribus modis. Primum, vt sic loquar, reductiue, quia ad vnum dilectionis mandatum omnia alia mandata re- ducuntur, vt illo adimpleto, omnia seruentur, non solum secundæ tabulæ, quæ hic sola Apostolus enumerat, quia qui proximum diligit, nulli iniuriam facit, quo tota secunda tabula consistit; sed etiam primæ tabulæ mandata, siue totus veri Dei cultus: idque hanc ob causam, quia vera proximi charitas nõ nisi ex amore Dei fuit (vt ipse agnouit Calui- nus) quâdo qui proximum verè diligit, pro- pter Deum & in Deo eum diligere debet: quo vno vera Christianorum dilectio ab hu-

mana distinguitur amicitia. Qui proximum di-
lib. 2 c. 7. ligit (ait Augustinus) consequens est vt Deum
quoque

quoque diligit. Ex vna quippe eademque charitate
 Deum & proximum diligimus. Hunc sensum
 hoc in loco maximè respexit Apostolus.
 Hoc etiam sensu Christus in Euangelio di-
 xit: In his duobus dilectionis praeceptis tota lex pendet & Propheta. 2.
 Alio modo dilectio proximi
 implet legem effectiuè, quia charitas Dei &
 proximi (quæ nisi vna & eadè virtus est tra-
 ctione sui) donum illud Dei & gratiæ seu
 virtus est, cuius beneficio tota lex impletur,
 iuxta illud Apostoli, *Finis præcepti charitas*, vi. 1. Tim. 1.
 delictet quo præcepta perficiuntur, vt doctè
 exponit Augustinus. Hoc per multa parti-
 cularia virtutum opera, quæ ex vna charita-
 tis radice enascuntur, demonstrat Apostolus
 in priori ad Corinth. *Charitas patiens est, beni-
 gna est*, &c. quod suo loco explicabitur. Præfat. in
Psal 31.
Cor. 13.
 Quod & D. Gregorius, Apostolum imitatus,
 pulchrè & latè explicat in Moralibus in Iob. Lib. 10. c.
6. & 7.
 Tertio tandem modo dilectio implet legem, 3.
 quia *plenitudo legis* est formaliter: id est, cæte-
 rarum omnium virtutum & actionum bo-
 narum veluti forma charitas est; quatenus
 nulla obedientia, nulla actio, quantumlibet
 ex sua substantia honesta, vera virtus, Deo-
 que placens, sine charitate censeri potest, nisi
 ad charitatem veluti finem ac scopum actio-
 nes per se honestæ dirigantur: si alium finem
 ac scopum habent, seu malum seu indiffe-
 rentem, veræ virtutes non erunt. In Morali-
 bus autem rationem formæ finis habet, vt
 tale

tale vnumquodque denominetur ac censeatur, qualem sibi finē præfixum habuit. Hinc

1. Cor. 13. Apostolus roties monet *vt omnia ad edificati-*
 26. *nem, omnia ad Dei gloriam fiant.* Tot ergo mo-
 1. Cor. 10. *dis plenitudo legis est dilectio; & qui diligit proxi-*
 31. *mum (idem quippe & Deum diligit) totam le-*
gem impleuit: sanè quatenus eam in hac vita
impleri necesse est.

CAP. XIII.

4. *Stabit autem: Potens est enim Deus statueré illum.*

Cal. dnali
 en cordis
 & lingue.

Versipellis Calvinus paucis in hunc locum verbis duplici corde, & lingua utitur, volens & suis hæresibus consentaneum aliquid dicere, & apertam tamen ac liquidam veritatem non aspernari videri. Quod (inquit) Apostolus argumentatur à Dei potentia, non simpliciter id facit, ac si diceret posse id Deum facere si vellet, sed connectit Dei voluntatem cum potentia, more Scriptura. Hæc suis placitis consequenter Calvinus dixit. Quum enim certitudinem gratiæ perpetuam in omnibus semel per fidem iustificatis, & vnicam electorum fidem indelebilem ponat; perseverantiam in eisdem docere Apostolum vult, non quam Deus operari potest si velit, sed quam infallibiliter operabitur de facto; quia Dei voluntas cum sua potentia semper coniuncta est,